P

ORATIO
DE VETERI ADOLESCENTIUM INSTITUTIONE APUD HISPANOS REVOCANDA

A

D. GASPARE DE MOLINA
MARCHIONE DE UREÑA

In Regio Matritensi SEMINARIO pronuntiata, cum ab ipso, aliisque Alumnis, Ex.mo nempe D. CAROLO DE LOS RIOS COMITE DE FERNAN-NUÑEZ, D. D. PETRO, & FRANCISCO RUIZ DE VELARDE Theses publicae defenderentur sub disciplina P. ANTONII BURRIEL S. I.

MATRITI

APUD GAB. RAMIREZ TYPOGRAPHUM.
M. DCC. LV.

ANTONIVS BVRRIEL S. I.

LECTORI.

HAbes orationem hanc, qualis ab Adolescente pronuntiata illa est Nonis Octobris. Multa deleuissem, addidissem multa, commutassemque, si ad integerrimos tantùm huius aetatis viros respexissem; tamen vix vllus restaret fructus e labore suo ingenioso Adolescenti, qui e fontibus sibi indicatis hausit facili argumento plurima, & proprio Marte adornauit. Quam ob rem ita mihi censui in oratione hac agendum, vt neque doctissimis ea viris displiceret omnino, neque mos politissimo, atque optimae spei iuueni (qui magnum suum Patruum Cardinalem D. Gasparem de Molina & animo, & nomine refert) non gereretur. VALE.

CEN-

CENSVRA SVPERIORIS ECCLESIASTICI *iussu expressa.*

LEgi Orationem hanc, in eaque nil aut morum integritati, aut sanae doctrinae aduersum animaduerti: imò ingentem animo spem de Professore, & Adolescente cepi, cum verè illud intellexi, alterum septimum & vicesimum aetatis annum agere; alterum autem tertium decimum. In lucem igitur edi posse censeo. Matriti. Ex Regia Bibliotheca. Postrid. Kalend. Ian. ann. M.DCC.LV.

Emmanuel Martinez Pingarron.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Thomás de Náxera Salvador, del Orden de Santiago, y Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, &c. Por la presente, y lo que à Nos toca damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima una Oracion pronunciada en el Real Seminario de Nobles de esta Corte, baxo el magisterio del P. Antonio Burriél de la Compañía de Jesvs, cuyo titulo es: *De Veteri Adolescentium institutione apud Hispanos reuocanda*; atento, que de nuestra orden, y mandado se ha visto, y reconocido, y no parece tiene, ni contiene cosa, que se oponga à nuestra Santa Fé Catholica, y buenas costumbres. Dada en Madrid à 2. de Enero de 1755.

Lic. Náxera.

Por su mandado,

Manuel Gil y Ayessa.

IVDI-

IVDICIVM EX DELEGATIONE REGII Castellæ Senatûs, expressum.

CVM hanc Orationem *de Veteri Adolescentium institutione* &c: accuratè perlegerim, nihilque in eâ iuribus Regiis contrarium inuenerim, edendi facultatem concedi posse, arbitror, praesertim cum legentibus vtilitati, iucunditatique censeam esse futuram. Matriti pridie Idus Ianuar. an. M.DCC.LV.

D. Augustinus de Orobio Bazterra.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joseph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escribano de Cámara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico, que por los Señores de él se ha concedido licencia al P. Antonio Burriél, de la Compañía de Jesvs en el Real Colegio del Seminario de esta Corte, para que por una vez pueda imprimir, y vender una Oracion intitulada: *De Veteri Adolescentium institutione apud Hispanos reuocanda*, con que la impresion se haga por el original, que vá rubricado, y firmado al fin de mi firma, y que antes que se venda se trayga al Consejo dicha Oracion impressa, junto con su original, y Certificacion del Corrector de estár conformes, para que se tasse el precio à que se ha de vender, guardando en la impresion lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos. Y para que conste lo firmé en Madrid à 18. de Enero de 1755.

D. Joseph Antonio de Yarza.

ER-

ERRATA SIC EMENDA.

Pag. 2. lin. 2. quamquam, leg. *quamquàm.*

Pag. 9. lin. 7. priûs, leg. *priùs.*

Oratio *de Veteri Adolescentium institutione apud Hispanos reuocanda*, à D. Gaspare de Molina Marchione de Vreña in Regio Matritensi Seminario pronuntiata cum ab ipso aliisque Alumnis, Exmo nempe D. Carolo de los Rios Comite de Fernan-Nuñez. D. D. Petro, & Francisco de Velarde Theses publicae defenderentur sub disciplina R.P. Antonii Burriel Societatis Iesu. Matriti 12. Feb. ann. 1755.

Lic. D. Emmanuelis Licardo de Rivera,

Corrector Generalis.

T A S S A.

DON Joseph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escribano de Cámara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico, que haviendose visto por los Señores de él la Oracion, intitulada: *De Veteri Adolescentium institutione apud Hispanos reuocanda*, à D. Gaspare de Molina Marchione de Vreña in Regio Matritensi Seminario pronuntiata cùm ab ipso aliispe Alumnis, Exmo nempe D. Carolo de los Rios Comite de Fernan-Nuñez. D.D. Petro, & Francisco Ruiz de Velarde, que con licencia de dichos Señores, concedida al P. Antonio Burriél, de la Compañía de Jesvs, ha sido impressa, tassaron à ocho maravedis cada pliego, y dicha Oracion parece tiene tres, sin principios, ni tablas, que à este respecto importa veinte y quatro maravedis; y à dicho precio mandaron se venda, y no mas, y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Oracion, para que se sepa el à que se ha de vender. Y para que conste lo firmé en Madrid à diez y nueve de Febrero de mil setecientos cinquenta y cinco.

D. Joseph Antonio de Yarza.

ORA-

ORATIO.

ETSI cum ascendere hunc locum 1.
cogitabam, Excellentissime Princeps, (*) atque Auditores amplissimi, satis intellexi, me neque incorrupto iudicio vestro esse, neque tantae moli, quam meditor, parem; tamen animus ipse meus gratiam sibi vestram tacitus praedicebat, meque nescio quo pacto ad hanc rem obeundam paene reddebat audacem. Quod nisi mihi ipse ita essem de vobis mecum fidenter pollicitus, non modò hic gratissimus conspectus vester, ac longè ornatissimus à me vitandus maximè putare-

(*) Excellentissimus Dominus D. Ferdinandus de Silva, Alvarez de Toledo, Beaumont &.&. Dux Albanus &. &. maximus Regiae Domus Praefectus, atque in Sanctiori Statûs Senatu Decanus, qui vice Regis ipsius fungens concertationi praefuit, proque sua singulari humanitate, qua litterarum omnium studia, studiososque, maiorum suorum more, complectitur, hos Adolescentes amplissimè ornauit.

tur, ſed etiam hoc horum Adoleſcentium quamquam lectiſsimorum, meumque periculum ferendum nullo modo eſſet. Sed & gratulor mihi de hac re, vehementerque laetor, non meam me de vobis conceptam opinionem fefelliſſe, qui pro ea, qua eſſe omnes vos in ſtudia optimarum artium caritate intelligo, fore ipſe putabam, vt hic ſingulari alacritate adeſſetis frequentiſsimi. Neque adeſſe vos tantum alacres concertationi huic video, ſed etiam liberalibus ſtudiis ita propitios, gloriaeque in re litteraria Hiſpani nominis ſtudioſos, vt iam inde ab hoc temporis puncto libeat id, quod ad rem, quam acturi nunc ſumus, vel maximè ſpectat, à vobis ſciſcitari. Vnde illud fit, vt cum noſtrorum hominum eadem, atque ſemper fuerunt, ſint temporibus iſtis ingenia, inter alias deinde gentes maior proculdubio clariſsimorum virorum, atque eruditiſsimorum copia, tamen videntur multis viris bonis praeſtantiora fuiſſe iis noſtris in Hiſpania ſuperiora quaedam tempora? Vnde illud fit, vt ampliori Principis noſtri, atque Optimatum ſubueniente, nunc temporis, auxilio, certantibuſque ſecum vehementius, quàm prius de reportanda in ſcientiis palma totius Europae prouinciis, ac nationibus, atque adfluentibus nobis vberiori librorum optimorum meſſe; tot egregios Adoleſcentes nec latinis litteris deſtitutos, nec graecis, nec aliarum artium

ho-

honeſtarum rudes, ſed bene, atque ad vnguem iis imbutos, tot viros ſcientiarum quarumpiam doctiſsimos, non liceat vti prius exterorum dictis obiicere? Videre mihi videor vnumquemque veſtrûm in hac, quam expoſui cogitatione defixum, ſed vt vt alii de hac re, cauſaque iudicent, AA. ampliſsimi, ego dum rem iſtam diligenter intueor, maturae, ac diligentiſsimae maiorum noſtrorum inſtitutioni, horum verò temporum ſerae, ac parum liberali, id penitus, aut maiori ſaltem ex parte tribuendum duxi. De hac re iis ipſis aedibus, in quibus nunc ſumus, valde opportuna, in hoc clariſsimorum atque honeſtiſsimorum hominum conſeſſu ſum, non ornatè, non amplè, ſed pro mea in patriam pietate, atque obſeruantia vobis audientibus dicturus. Ac primum quàm naturâ ſint ad litterarum ſtudia apti noſtrates, deinde quantum hac gloria priſtinis valuerint ipſi temporibus, ac demum quantis viribus, quaque via iam inde à pueris conniti in eorumdem gloriam debeamus, videtur eſſe dicendum.

I.

2 Natura, indoleſque Hiſpanorum hominum ita eſt optimarum artium ſtudiis idonea, vt nè mente quidem fingere, aut concipere meliorem poſsis. Expoſcit hoc vitae, ac laborum genus animum in primis eximia quadam magnitudine praeditum, ardua quaeque petentem fortiter, atque ſublimia, nè aut difficultatum prematur pondere, aut cognitione rerum tenui maiora exhorreſcens ſibi ſatisfaciat: corpus deinde viuida quadam virtute, ac facilitate pollens, nè qua corruptum ignauia inſtar veterni, mentis detrectet imperium, laboris praeterea patiens, neque nimis per ſe his vitiis obnoxium, quae paene coeleſtem illam vitam, atque aethereas animi facultates hebetant, ac remorantur. Quae quidem omnia, cui genti ſunt, aut nationi à Deo Opt. Max. quemadmodum Hiſpanae genti mirum in modum conceſſa? Quid aëris, quid coeli dicam temperiem, quid cetera mortalis vitae ſubſidia, quae ſunt talia apud nos, vt quantum noſtrorum hominum ingenia aliarum ingeniis gentium, tantum Hiſpani ſoli felicitatem aliarum prouinciarum felicitati ſupremus ille artifex praeſtare voluiſſe videatur. Quod ſi immorari in re ſatis aperta fas eſſet, virtuteſque, praeſertim commemoratas paulo ante, genti huic naturâ ipsâ inditas recensère, neque apud Graecos

an-

antiquiſsimos illos Scriptores, neque apud Latinos verbis deſtitueremur multò ornatiſsimis, quibus noſtrorum religio, probitas, fortitudo, prudentia, maximarum quarumque rerum aemulatio, animi magnitudo, impatientia iugi, humanitas quoque in aduenas, atque hoſpitalitas praedicantur. Sed quoniam de litterarum laude nunc agimus, libentius patiemini ea à me commemorari, quae propiùs ad iſtam laudem ſpectant.

II.

Vetuſtiſsimos illos Hiſpaniae populos eximia
praeter ceteras gentes gloriae auiditate litteras co- 3
luiſſe ſcriptum eſt apud Strabonem, qui de Turdetanis, HI, inquit, INTER HISPANIAE POPVLOS SAPIENTIA PVTANTVR EXCELLERE, CETERI ETIAM HISPANI VSVM HABENT LITTERARVM. Q. Horatius Flaccus homo in adpingendis adiectis acutiſsimus Iberos, ſiue Hiſpanos laude proſecutus eſt tanta, vt ſuis quibuſdam interpretibus crucem fixerit, qui contorquere perſpicua nimium Poetae verba vellent: ME, inquit, PERITVS DISCET IBER. Vnde decertare Hiſpania cum Graecis putabitur forſan poſſe, quibus dediſſe ingenium Muſa ab eodem Poeta declaratur. Ac ſi viros certè illos, quos ea tempeſtate, aut non multò poſt procreauit Hiſpania, contemplemini,

aemu-

aemulari voluiſſe Graeciam videbitur. Multos eò flagraſſe litterarum amore accepimus, vt Romam proficiſcerentur Liuii Romanarum rerum Scriptoris videndi ergo: neque commune patriae deſiderium, neque itinerum moleſtiae, neque vrbs peregrina cupiditati obſtiterunt egregiae, aut ab incepto reuocarunt. Floruerunt in eadem vrbe Iulius Hyginus, Portius Latro, Columella, aliique cum vates, tum oratores etiam, litterarum latinarum lumina. Quid? Si aſſentari mihi ipſe poſſum Hiſpano illo viro M. Fabio Romanae eloquentiae parente altero? Quid Senecas dicam, quid Bilbilitanum Poetam ipſis Gratiarum diuinis manibus factum? Nititur ſemper in difficillima quaeque gentis huius quaedam paene diuina vis, neque nactam ſe quicquam arbitratur vis haec ſummarum rerum aemula, dum aliquid ſibi ſupereſſe intentatum intelligit.

4 Venio ad illa iam tempora, in quibus Chriſtianae religionis, veraeque pietatis lux primum oborta eſt. Ad miram vitae integritatem ſingularem rerum omnium doctrinam Damaſus, atque Oſius coniunxerunt, horum verò aequales, poſteriorumque temporum ita multi ſunt, vt non modò meum non ſit eos perſequi, ſed nè diſertiſsimi. Adfluxit ſemper haec natio ampliſsimis viris, adfluxit Leandro, Fulgentio, Iſidoro, Ildephonſo, Eugenio, Iu-

lia-

liano, Liciniano ſideribus profectò caligini tantae,
quae inuaſerat, lucidiſsimis. Adfluxit deinde Iſido-
ro item Pacenſi, Etherio, Beato, Martyre Eulogio,
Aluaro, Samſone, aliiſque innumeris certè, qui
eximia, ſingularique virtute tenebris ſemper bellum
indixerint.

Neque videor mihi ſenſim ad Maurorum, at- 5
que Hiſpanae cladis tempora orationis iam tractu
delatus, debere tacitus praeterire Arabum homi-
num praeclaram ſapientiam: ii litteras in Hiſpania
non ſolum coluerunt, atque in omni doctrinae ge-
nere praeſtiterunt, verùm etiam poſteris quibuſque,
nugas eorum de religione ſi deſpexeris, ſequenda
veſtigia reliquerunt. Nihil illis vnquam fuit in ex-
colendis ſingulis humanitatis ſtudiis Grammaticis,
Rhetoricis, Poeticiſque, vt erat ſermonis ſui natu-
ra, ſollertius, (*) nihil in explicandis libris ſacris in-
genioſius, nihil in pertractandis corporis humani
morbis vtilius, nihil in perſcrutandis naturae arca-
nis diligentius, nihil in motu ſiderum, corporum-
que coeleſtium conditione inueſtiganda felicius.

Dum haec ab hominibus iſtis aguntur, non 6
poſſum non fateri, atque apertè intelligo apud
Chriſtianos loci, quàm Mineruae, Marti plus da-
tum;

(*) Id manifeſtius videas intra menſes aliquot in Bibliotheca Arabico-Hiſpana, quae breui, vt ego intelligo, publici iuris fiet à Michaele Caſsiri ſingularis doctrinae, atque humanitatis viro, mihique in primis beneuolentia coniuncto.

tum; ſed recreari vix viſa eſt tantiſper Hiſpania religionis verae tenax, iam tum procreare alios coepit non humanis tantum, ſed diuinis potius praeceptis imbutos. De ſapientiſsimis quoque in Hiſpania Hebraeis dicendum etiam arbitrabar, verùm ad pleniorem doctrinae lucem properanti, ad aureamque aetatem venire cupienti difficillimum mihi eſſe animaduerto ſingula pro rei magnitudine praedicare; veſtrum tamen fore crediderim memoria vetera repetentes ea reputare veſtris animis, quae nequeunt oratione prehendi.

7 Auream equidem aetatem puto proculdubio vocandam, in qua ſuperiorum temporum ſtudia omnia & amplificata, & ad meliorem ordinem conformata ſunt. Sub praeſtantiſsimis illis Regibus Ferdinando Catholico, atque Iſabella illuxit nouus quidam dies omnipotentis Dei prouidentia Hiſpanis, qui ſeſqui ſaeculum, & eo amplius has prouincias reddidit ſole ipſo pulchriores. Optimarum artium ſtudia cuncta ita increbeſcere iis temporibus viſa ſunt, nulla vt emineant praeter cetera, quin ſi ſingula ſeorſum perſpecta ſint, vnum opus fuiſſe noſtratibus colere ea vna, intelligere verè poſsitis. Qua de re cogitanti mihi ſaepenumero, illiuſque aetatis praeſtantiam praemeferenti ſubit, atque animo obuerſatur Hiſpania cum aliis regionibus, vt hodierna ſunt tempora, certans, iiſque verbis, centum complexa ne-

po-

potes, vtì eſt apud Poetam, de ſua ſeſe felicitate longè praeſtantiſsima iactans. Ecquemnam tandem finem detrahendi de me facitis, quibus proficere per me in omni diſciplinarum genere iam diu licuit? Ecqua in re, amabo, vnquam excelluiſtis, in qua eâdem non praeluxerim ipſa? A vobis lumina ſacris Bibliis adlata plurima ſunt? Adlata priûs Compluti à me fuere ſub grauiſsimo illo, ac ſanctiſſimo viro Ximenio. Diſciplinam illuſtraſtis quae de Deo, ac religionis verae praeceptionibus agit, inſtitutiſque? Quid Hiſpano viro Melchiore Cano, vt alios praetermittam, quid vtroque Soto illuſtrius? Quid Suario, quid Valentia, quid Vazquio? Aperuiſtis diuini verbi ſenſus arcanos? Maluenda, Gaſpare Sanctio, Montano quid excogitari poteſt prius? In philoſophicis, ac mathematicis, iuris, ac legum peritia, in philologicis, ac in ſcribendis luculenter rebus geſtis eâ copiâ ſemper adfluxi clariſsimorum hominum, vt Europa ipſa certè quidem doctiſsima ſuo ipſius iure eſſet habenda, etſi praeter Hiſpanos gnarum procreaſſet harum facultatum prope neminem. Quod ſi de ſingulis ſeorſum dictum iri artibus ſtatuiſſem, quando exitum inueniret oratio? Quando in vnaquaque earum praeſtantiſsimos quoſque nominandi finem feciſſem? Quando dignâ in iuriſconſultis laude adficerem Ant. Auguſtinum, Did. Couarrubias, Alpizcuetam, Molinam? Quan-

do in antiquis Ecclesiae rebus illustrandis egregios Turrianum, Loaysam, Gundisaluum Poncium? In medendi arte Vallesium? In studiis humanitatis Nebrissensem, Aluarez, Brocensem? quibus cum orbata fui luminibus Europam ipsam paene orbam arbitrabar. Hi veram, firmamque sapientiam, non vmbras, atque spectra, vt vulgò dicitur, amplexi, immortale mei decus, atque ornamentum, & exemplar ac lumen extitere omnium gentium. At si studia omnia pulcherrima humanitatis obiicitis; negabo ante alia fieri vnquam potuisse, vt eueherentur ad summam sapientiae laudem, quos aut nominaui nuper, aut clam attigi, quin haec quoque studia iam inde à pueris adamarint, omnique & mentis, & corporis contentione excoluerint. Graecarum litterarum institutione vsi non minus sunt, quàm latinarum. Fuit quando Academiae apud me plenae erant istarum artium, ac disciplinarum, studiaque haec paene vehementius colebantur quàm aut Romae vnquam, aut in ipsa Graecia. Vergaras duo, Benedictum Montanum, Marianam, Cerdam, Nunnesium, aliosque Athenis arbitreris natos. In dicendi facultate nil plenius, nil vberius fingi potest Ludouico Viue, Matamoros, Aluaro Gomecio, Sebastiano Foxio, Ioanne Perpiniano. In alia etiam ratione dicendi pedibus ligata, atque in illa sensus aetherei particula, facultate nempe poetica, vt pa-

tria

tria oratione vſos nunc taceam, ſimillimi priſcis extiterunt multi: imò verò Benedictus ipſe Montanus, Ferdinandus Villegas, Falconius, vt ante alios nominem, à multis verſantur haud ineptis quàm illi ipſi Ouidius, Horatius non minori fortaſſe voluptate. Quid tandem? Si enarrauerim denique viros, qui ſtudia multa apud alias gentes profeſsi ſunt, perficiam profectò, vt intelligatis temerè nè dixerim prius, an iure meo licuiſſe ceteris gentibus, ac nationibus per me proficere. (*)

Si loquatur iis verbis Hiſpania, AA. ampliſsimi, 8
cum prouinciis aliis, exiſtimo fore, vt verbis eius acquieſcant, id quod ipſis facto eſſe opus arbitrabitur, qui reuocet in memoriam Viuem, Oliuarium,

(*) *Dionyſius Lambinus vir integerrimus iuxta ac doctiſsimus apertè tradit quamnam Hiſpani partem habuerint in ſtabiliendis bonis litteris apud Gallos. Longiùs prouehitur in hac re Dionyſius, quàm quod patitur huius ſcripturae conditio, tamen & ſtatus Galliae, ad quem euertendum vocabantur noſtri, horumque dulcis recordatio ſilenda viſa non fuerunt.* Muta, *inquit*, tum erant ab illis litteris, à liquida, & germana Philoſophia, à veterum, & probatorum auctorum vocibus, Lutetiae gymnaſia. Vigebant in eis ineptae verborum captationes, & concertationes: inanes, & ſpinoſae quaeſtiunculae ponebantur: fallaces, & minutae concluſiunculae contorquebantur: diſputationibus anilibus, barbaris nominibus, ac vocibus impolitiſsimorum librorum lectione omnium gymnaſiorum parietes perſonabant. Merae nugae, merae ineptiae, mera barbaries docebatur. Ignoti erant Homerus, Pindarus, Aeſchillus, Sophocles, Euripides; ignoti Plato, Xenophon, Ariſtoteles, Theophraſtus, Plutarcus; ignoti Herodotus, Thucydides, Polybius, Diodorus, ceteri graeci ſcriptores omnes. Linguae latinae elegantiam, & munditiem, incorruptum latini ſermonis vſum nemo nouerat, nemo docebat. Hebraicae, & Graecae linguae né elementa quidem erant nota: omni elegantiore, & puriore doctrina, omnibus graecorum, & latinorum melioris notae Scriptorum monumentis carebamus.... Exortus eſt Franciſcus ille auus tuus, humanarum littera-

rum,

& Foxium apud Anglos, & Belgas, Ciaconios, quemque dixi paulò antè Ant. Augustinum apud Romanos, Petrum Ciruelum apud Parisienses, quos vtì ipse reliquit scriptum, ac memoriae traditum (*) ferè primus omnium docuit elementa Matheseos; atque huiusmodi sunt ita multi, vt eos complecti oratione non possim. Quae cum ita sint, ac maiores nostri egregiam hanc sui nobis memoriam reliquerint, exiguo vos labore animaduertetis, quanta diligentia, studio, sollicitudine, vigiliis, contentione, cura enitendum sit nobis, nè degeneres maioribus nostris videamur. Videte nè sicut ipsis gloriosissimum semper fuit apud exteras gentes ob egregiam doctrinae laudem coli, in pretioque maxi-

rum, omniumque ingenuarum artium, ac disciplinarum verissimo cognomento parens appellatus: qui rus merum, qui foedam barbariem, qui graue virus, qui crassas tenebras è scholis, ex vrbibus, è tota Gallia suo splendore depelleret, fugaret, dissiparet: sermonis hebraici, graeci, latini, omnium artium honestarum, & Reip. vtilium studia in hominibus ingenio praestantibus commoueret, atque excitaret. Id autem hac ratione assecutus est. Lutetiae duodecim Doctores partim Gallos.... partim aduenas (in quibus erant Bart. Latomus Germanus, Io. Poblatius HISPANUS, Agathius Guidacerius, Paulus Paradisus, vterque item HISPANUS, Io. Stracelius Flander, Vidus Vidius Florentinus) proposito atque attributo eis honestissimo praemio instituit: quorum alii mathematicas artes, alii hebraicas litteras, alii graecas, alii &c. Lugduni, Idib. Aprilis. MDLXI. *Hìc vides Italiam, Flandriam, Germaniam, singulas singulos Doctores dedisse, Hispaniam verò ternos. In Epist. qua sua in Horat. Commentaria Carolo IX. Regi Galliae dedicat. Edit. Paris.* 1605.

(*) *P. Cir. Darocensis in opere inscripto Apotelesmata Astrologiae Christianae.* Parisii enim eo tempore licet sermocionalium disciplinarum, & vtriusque Philosophiae, atque Theologiae frequentissimum esset studium, mathematicarum tamen artium (quarum tunc Parisienses ferè omnes expertes erant) professio me apud eos effecit valde gratum, & acceptissimum: veluti si terra sitiens imbrem temporaneum de coelo recepisset. *In Epist. proëm. ad Acad. Salmant. Edit. Compluti. an.* 1521.

ximo haberi, famamque denique immortalem patriae ſuae parere, ita ſit nobis turpiſsimum, aut amittere hanc gloriam, aut non augere. Ad eximiam naturam, atque illuſtrem maiorum noſtrorum accedebat ratio quaedam, conformatioque doctrinae, vnde illud neſcio quid praeclarum, ac ſingulare ſolebat exiſtere. Inde Scriptorum exterorum libris cumulabantur paſsim laudibus ſummis, expetebatur vndique eorum amicitia, atque coniunctio, exquirebantur ſententiae eorum, excipiebanturque ſubmiſsè in rebus difficillimis, ad tradendas quaſuis diſciplinas propoſitis honoribus, commodiſque ampliſsimis arceſſebantur. Tunc ex Hiſpania tanquam ex vberrimo doctiſsimorum hominum aerario viros ii conabantur certatim haurire, quibus aut erat hauriendi quaquà poteſtas, aut munus alibi doctores praeficiendi. (*) Huc eſt elaborandum, huc totis viri-

(*) Iac. Lainez Praep. Gen. S. I. Anton. Araozio *eiuſdem Soc. in Hiſpania Generali Comiſſario.* Tambien ſepa V. R. que en todas las partes, donde eſtà la Compañia fuera de Eſpaña, hai meſsis multa, & operarii pauci: porque allende de Italia, y Alemagna, y otras partes mas ſeptentrionales, donde cada dia ofreſcen muchos Colegios; en Flandes hai muchas neceſsidades, y en Francia ſe abre la puerta à la Compañia en las principales Ciudades de ella, como Parìs, Roan, Toloſa, Leon, y otras partes, donde quieren Colegios, y de acà no podemos à todo dar mano, y por poder ayudar mas, eſcrivo eſta para pedirle mui encareſcidamente en el Señor, y en ſu charidad, que pues como V. R. y otros eſcriven, allà llama el Señor gente mucha, y granada, nos dè (ſin faltar à lo neceſſario de allà) los mas ſubjetos que pudiere, para leer rethorica, griego, artes, Theologìa... De Trento. 31. de Agoſto de 1563. *Autographum harum litterarum ipſi Compluti vidimus. Inde factum eſt vt Perpinianus, Stephanus Valentinus, Mariana, Maldonatus, Pererius, Toletus, Valentia, aliique foris profiterentur, quorum ſuauiſsimè ipſe Mariana nonnunquam meminit.*

viribus connitendum, nè probro eſſe nobis vnquam poſsit illorum gloria, ſed vt digni videamur fuiſſe, qui in eorumdem locum gloriae ſuae heredes ab ſummo illo rerum arbitro ſufficeremur. Quid igitur dulcius, aut pulchrius hominum generi à natura datum eſt, quàm liberi parentibus ſuis ſimillimi? Quid contra ea aut abſonum magis, aut triſtius, quàm parentibus probis ſi ſint heredes improbi, inornati ornatiſsimis, diligentiſsimis deſidioſi, inculti cultiſsimis? Quorſum igitur haec diſputo? Quorſum? Vt intelligere poſsitis, id niſi exequamur quo adſimiles maiorum noſtrorum ſimus, ignominiae magnitudinem, ac probri nobis iam nunc imminere paene incredibilem.

9 Verùm intelligo AA. ampliſsimi, & eximia quadam ex ea re percepta voluptate intelligo horum maiorum aetatem nobis coepiſſe reuocari, verſarique apud nos viros plurimos reip. noſtrae lumina, atque ornamenta, quos ſi priſcis Hiſpanis conferas pares proculdubio inuenias: intelligo ſtudiis optimarum artium & Principem noſtrum, & optimum quemque impenſiùs, vehementiùſque opitulari, comitia litteratiſsimorum hominum ſaepius nunc haberi, praemiis adfici multos, ac maximum noſtris hiſce temporibus florere vſum quarumque bonarum artium, ac litterarum. Quam ob rem libenter nonnumquam audio quod erit, erit

illud

illud breui profectò tempus, & illuceſcet aliquandò ille dies, cum gloriae maiorum, vt ſpero, noſtra minorum gloria aut praeſtabit fortaſſe, aut aequabitur. Iam verò vt pro mea tenuitate ſubiiciam calcar, vtque propria nobis eſſe poſsit, ac perpetua haec noua, qua fruimur, felicitas, de via qua in antiquam laudem connitendum nobis eſt, id eſt, de optima inſtitutione Adoleſcentium, quae vera via vnica eſt, breuiter dicamus.

III.

Nemo vnus eſt tam communis ſensûs expers, qui planè, quaſi ea quae oculis cernuntur, non videat, Adoleſcentes liberaliter, ingenuèque inſtitui permagni intereſſe tum priuatorum, cum etiam Reip. eoſdemque eâ ſeſe conditione, aut in praeclaris ſtudiis, aut in Rep. adminiſtranda, aut in rebus gerendis habituros, qua vſi fuerint Adoleſcentuli. Quod ſi dediti ventri, inertiae, ſomno, indocti, incultique ſe liberaliter non exercuerint, profectò iam tum ſuſpicari fas eſt, qui deinde futuri ſint, nam frangas potius, quàm corrigas, quae in prauum induruerunt. Sin autem in diſciplinam viri boni traditi vacauerint ſollerter iis artibus, quibus prima aetas ad humanitatem informari vulgò ſolet, & viri ſpectati mores, & clariſsimi ac praeſtantiſsimi ciuis officia ad quamcumque ſeſe partem dederint,

rint,

rint, quàm maximè tutabuntur. Sed diu inter mortales certamen fuit domi-nè praeſtaret Adoleſcentes inſtitui, an publicè; qua in re diuerſa fuit hominum ſententia. Ego verò cum M. Fabio in hac re, meâ quidem ſententiâ, principe, & cuius auctoritati tribuo tantum, quantum ab optimis quibuſque omnium aetatum eſſe tributum ſcio, exiſtimo inſtitutionem publicam priuatae inſtitutioni anteponi oportere. Etenim eccui credibile eſt virum publicis negotiis plerumque implicitum, diuerſaſque quaſi in partes diſtractum, quales, qui in Rep. quoquo tandem modo excellunt, eſſe frequenter ſolent, moleſtiis dare operam poſſe neceſſariam, quae ſingularem inſtitutionem comitantur? Natura praeterea omnium hominum ita comparata eſt, vt, quos maximè amamus, eorum vitia lippis oculis videamus, conſequitur deinde vel in viris indulgentia quaedam, nam in matrum quidem blanditiis quid eſt quod immorari dicendo velimus, quae ferme euadit in aliquod malum. Quid autem memorem ſeruos plerumque nequam, quid elati animi, ac ſuperbi fontes, quid clientum, quid reliquarum rerum domeſticarum tumultum? Quid quod exempla ſociorum, atque eminendi deſiderium, quae plurimum ſemper valuere apud ingenuos, nulla domi ſunt?

11 At enim obſeruantia filiorum in parentes cariſ-

ſimos

ſimos adeo eſt inſtitutioni commoda, nulla vt excogitari res poſsit, quae non dicam vincere, ſed nedum longo interuallo queat obſeruantiae aequari. Profectò multum valet obſeruantia, quam à natura ipſa omnes inditam non docemur, aut inſtituimur, ſed ad ipſam ab ortu iam facti ſumus: verùm cogitanti mihi ſaepe de hac re, veterumque exempla, ac maiorum noſtrorum longè mecum voluenti videntur publicae inſtitutionis commoda vel ipſi vni obſeruantiae antecellere. Quid compertum magis quàm apud Graecos non Academias modò, verum etiam publicos ludimagiſtros extitiſſe? Quid apud Romanos in more magis poſitum, quàm liberos capeſſendarum artium gratiâ in Graeciam mitti? Tantum oppidò abfuit, vt domi ducerent continendos, ipſe vt Romanae eloquentiae parens Athenas miſerit filium ſuum, eumque vnicum. A maioribus noſtris ſanctiſsimo planè conſilio erectae Academiae ſunt, cenſibuſque ornatae; vixque, ac nè vix quidem è pueris exceſſerant Adoleſcentes, illuc emittebantur, vt pedetentim condiſcerent viam verae laudis, in eaque graſſantes & haberent vitae ſuae modum, & periculo in aliis facto intelligerent, quid ſibi ex vſu ſit. Hoc eodem conſilio vſus eſt in ſubſtruendis hiſce ipſis aedibus, in quibus nunc ſumus, Philippus ille Rex Hiſpaniae, orbis terrarum decus, atque ornamentum, cuius virtu-

tes eximiae, & res praeclarae geſtae praedicabuntur aetate omnium hominum, tamen in extruenda domo hac longè ampliſsima, & exegiſſe monumentum ſui multò aere perennius, & firmam atque ſtabilem gloriae ſuae ſedem colocaſſe aeternum videbitur. (*)

12 Neque verò abſoluta iam omnia duco, aut prorſus perfecta, ſi extra latebras inſtituatur Adoleſcens, vellem etiam vt honeſtiſsimo in primis, peritiſsimoque profeſſori, ita quàm primum traderetur, vt non in litteris modò, ſed in omni vitae vſu obnoxius quodammodo ſit, nè liberius viuendi reſtet poteſtas, vnde plurimos fuiſſe corruptos ſcio. Itaque oportet, vt quàm maturè edoceri ii quidem incipiant, qui futuri viri ſunt, nam aetas imbecilla per ſeſe quocunque eam deflexeris haud difficile ſequetur, elementaque diu ſeruabit, velut teſta, quibus fuerit recens imbuta. Praeterea vſuuenit, neſcio quo pacto, vt qui ab ineunte aetate veram optimarum artium viam calluerit, is non paſsibus, ſed velociſsimis ſuis curſibus in ea progredi in dies videatur, quique ſerò accomodauit aurem diſciplinae, is per ſe

(*) *Martinho de Mendoça de Pina e de Proença....* . aquelle methodo de educaçaõ, que practicaõ as Naçoens mais polidas, e que já os noſſos viſinhos introduziraõ no Real Collegio de Madrid, obra digna da grandeza, e virtude del Rey Catholico, e com a qual premiou para ſempre o zelo, e fidelidade, com que os Heſpanhoes o defenderaõ no Throno, contra o poder unido de quaſi toda a Europa. *Apontamentos para a educaçaõ de hum menino nobre. Edit. Lisb. Occid.* 1734, *pag.* 134.

ſe nihil vnquam magni, praeclarivè valeat efficere. Profeſſor verò ipſe niſi doctiſsimus, niſi abundans omni diſciplinarum genere, omnino mihi non videtur idoneus: verùm ſi haberi in promptu qualem optamus non poſsit, non enim copia tanta nobis eſt horum hominum, quanta maioribus noſtris, tamen aprimè quae traditurus eſt teneat; in reliquis autem ſtudiis ita ſaltem domeſticus ſit, vt & eorum praeſtantiam compertam habeat, vtilitatem, coniunctionem. Quid enim pulchrius ad honorem, aut maius ad gloriam, ad vſumvè commodius, quàm ab vnguiculis, quod aiunt, eam viam ingredi, in qua quantum profeceris, tantum in quouis vitae tempore non poenitebit? Quid contra ea ad imperitiam rerum omnium adliciat magis, quàm ſi puer audiat à profeſſore litteras latinas, vt hoc vtar exemplo, primis tantùm perceptas labris ſatis cuique viro eſſe vel honeſtiſsimo: graecas penitus ſupereſſe, dicendi facultatem cum ſolutam, tum pedibus adſtrictam vacuis vnis hominibus eſſe committendam, cognitionem antiquarum rerum, & rerum aetate priſca geſtarum nil niſi inanem adferre voluptatem? His praeceptis longè teterrimis puer ſi adoleſcat, ilicet actum eſt; peruaſit animum à pueritia ſtupiditas quaedam nunquam euellenda.

Propterea finem nullum perſaepe facio laudan- 13
di antiquorum hominum in hac re miram diligen-

tiam. Atque vt de Philippo Macedonico illo nil dicam, qui Aristotelem in litteris ea tempestate principem Alexandro filio praefecit, in promptu est P. Naso, qui de se, & de germano fratre fatetur ad insignes ab arte viros iuisse quàm primum: id quod Q. Flaccus vel libertinus memoriae de se reliquit commendatum. Petrus Huetius Cadomensis patrum memoriâ vir in omni doctrinae genere summus, quidquid sibi proficere in litteris contigisset, contigerat autem plurimum, Mambruno, (*) Samuelique Bocharto, quo vsus cautè Adolescens fuerat monitore, ac iudice paene referebat acceptum.

13 Sed videor iam longiùs, quàm par est, dicendi vi esse prouectus; quam ob rem quàm potero dicam breuissimè de parentibus, qui nonnunquam inconsulti magis, vt ego quidem sentio, quàm sponte peccant. Duplex autem est horum hominum genus. Alterum eorum, qui breuissimo quôque tempore litterarium confici curriculum volunt, neque verentur praeterea pueros à ludo litterario vbi lubet abducere, rumpentes passim doctrinae filum, professoremque, vt eumdem semper lapidem voluat, cogentes. Alterum eorum, qui studiorum rationem per sese stabilientes, haec, aiunt, praetermit-

(*) *Iesuita inter Poetas recentiores bene notus. Vid. vitam Huetii, quae anteit suum tractatum Philosophicum*, Foiblesse de l' esprit humain. Edit Londini 1741.

mittantur, perſequamur verò illa, haec nunquam
vſui futura, illis verò ineſt gratia apud omnes, &
ſplendor ſingularis. Fitque ex hac ſtudiorum tur-
bata via id, quod neceſſe eſt, vt cum grauiora ſine
primis, ſine elementis non conſtent, neque nan-
ciſcantur pueri prima, neque nanciſci vnquam poſ-
ſint grauiora. Quàm libenter nunc de ratione, con-
iunctioneque ſtudiorum omnium diſputarem. Quàm
libenter de mora temporis ſtudio vnicuique impen-
denda diſſererem. Quàm libenter de comprimen-
do in parentibus praecocum fructuum deſiderio: de
Adoleſcentium patientia in ediſcendo, ac denique
quàm vigilantiſsimè conſtantiſsimèque atque inte-
grè profeſſores debeant in inſtitutione verſari.

Sed finis ſit, atque vt terminetur illic oratio 14
mea, vnde eſt exorſa, nulla denique reſtat iam no-
bis inſtaurandarum artium via, niſi per ingenuos
Adoleſcentes imbutos more maiorum; voſque oro
AA. ampliſsimi, & ſumma contentione obteſtor
per vos, perque liberos veſtros, per dulciſsimam pa-
triam, per quidquid vobis cariſsimum eſt, vt quan-
tum quiſque adferre opis ad hanc rem poſsit, is li-
bentiſsimè adferre nè dubitet. Habetis duces in hac
parte grauiſsimos, & conſtantiſsimos huius aetatis
viros, qui quantum dignitate, gratia, auctoritate
valent, tantum amplificandae rei litterariae dant
operam. Habetis ducem Regem noſtrum FERDI-

NANDUM, quem Deus dedit nobis hiſce temporibus, & qui cum regiis dotibus, atque virtutibus ſuperaturus eſſet omnium aetatum Principes, tum maximè effecit, vt in hac re ab nullo eorum vinceretur.

15 Te, FERDINANDE, optime Princeps, mea iam compellat oratio. Te vidimus in hiſce ipſis aedibus inter maximas imperii curas per te litterariis concertationibus adſiſtentem, (*) te tuis verbis multò optatiſsimis audiuimus Adoleſcentes Seminarii huius tui ad pietatem, atque ſtudia litterarum hortantem, te & laetiſsimo vultu, & probatione honorificentiſsima tua, & rebus ipſis vidimus Seminarium hoc ornantem, cuius immortalis beneficii memoria tamdiu perennabit, dum erit hominum genus. Eaque qui fecerit, Exc.me Princeps, atque AA. ampliſsimi, ſatis apertè commonſtrat, quo ſit in bonas artes, atque in liberalem inſtitutionem animo, ac quantum in eo praeſidii habituri ſemper ſint viri de litterarum ſtudiis, atque de egregia inſtitutione optimè meriti. Vos demum liberos veſtros ſic moderamini, vt clementiſsimi, atque amantiſsimi Regis de ornandà, atque illuſtrandâ patriâ conſilia pro veſtra parte adiuuetis.

DIXI.

(*) Idib. Aprilis anni 1751.

